

aliosque eorum loco toties quoties tibi videbitur substituendi, & subrogandi, ac solvere recusantes, & differentes, & generaliter contradicentes quoslibet, & rebelles, & ne Decima hujusmodi solvantur persuadentes directe, vel indirecte per ipsas censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc si opus fuerit invocandi; Solventes vero de solutis quietandi, & liberandi, a censurisque, & poenis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerint absolvendi, & generaliter omnia, & singula in praemissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciem, ordinam, mandam, & exequendi plenam, & liberam, auctoritate, & tenore praedictis facultatem concedimus, & potestatem.

Contrariis derogat:

§.3. Non obstantibus Regula nostra de non tollen. jure quaesito, ac aliis quibusvis Apostolicis, ac etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Aut si ipsis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede Indultum, quod ad solutionem alicujus Decimae non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari seu extra, vel ultra certa loca ad iudicium advocari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus etiam in corpore juris clausis, ac Literis Apostolicis quibuscumque Dignitatibus, seu Ordinibus specialiter vel generaliter sub quacumque verborum forma expressis, etiam si motu proprio, ac de Apostolica potestatis plenitudine, & consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda esset, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Veteri distric-tio rerum Ecclesiasticarum & contrariis derogat.

§.5. Volumus autem, quod juxta ordinationem a Concilio Viennen. super hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum piorum locorum divino cultui dedicata ex causa pignoris, vel alia occasione solutionis Decimarum hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur, quodque praesentium literarum transumptis tuo, vel alterius Praelati Ecclesiastici sigillo, ac publici Notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides in iudicio, vel extra adhibeatur, quae

praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 4. Novembris 1667. Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. die 4. Nov. 1667. An. I.

XXXVI.

Commissio Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani super notificatione Praecepti accedendi ad Urbem quibusdam Fratribus Militibus Linguae Italiae facienda.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Dilecto filio Nicolao Cottoner Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. **J**ustis ex causis Nobis notis adducti, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, Tibi tenore praesentium committimus, & mandamus quatenus statim visis eisdem praesentibus, cures, & mandes per legitimum Cursorem, sive Executorem de speciali nostro, & hujus Sanctae Sedis Apostolicae mandato notificari dilectis filiis Praeceptoribus, seu Commendatariis Gaspari Cabuccino, Joanni Mariae Innocentio Caravita, Fabio Gorrino Panolino, Augustino Morando, & Andrea Majorano, ac Vecchietto de Vecchietti, & Bernardino Sardino Fratribus Militibus Linguae Italiae istius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani personaliter quidem, si eorum persona commode poterunt haberi, sin minus in Domibus eorum solite habitationis, & in manibus Domesticorum respective dimissa copia, ut ipsi debeant, & unusquisque eorum debeat intra decem dies ab hujusmodi notificatione computandos discedere ab Insula Melitensi, & recta via se ad Almam Urbem nostram, & Romanam Curiam conferre, & intra bimestre a die discessionis hujusmodi ad eam personaliter, & cum effectu pervenisse, ad effectum audiendi iustiones, & mandata nostra, illisque parendi, sub poenis quatenus in termino praefixo non accesserint, & personaliter, non comparuerint in dicta Curia, privationis omnium, & singularum Praeceptoriarum, seu Commendarum, membrorum, aliorumque Beneficiorum, & munerum quorumcumque dicti Hospitalis per eos, & eorum, quemlibet respective obtentorum, ac pensionum quarumvis super fructibus, redditibus, & proventibus Praeceptoriarum, seu Commendarum, aliorumque Beneficiorum, & bonorum quorumlibet Hospitalis praedicti eis, & eorum cuilibet respective quavis auctoritate reservatarum, constitutarum,

Mandat aliquibus Militibus, ut infra bimestre personaliter in Urbe compareant sub poenis prout in Rubrica.

tarum, & assignatarum, seu in eos, & eorum quemlibet translatarum, necnon perpetuae inhabilitatis ad illa, & talia similia, seu majora, vel minoram imposterum obtinenda, aliisque poenis etiam gravioribus, quam sint supradictae expresse arbitrio nostro declarandis, itaut, si praeccepto hujusmodi non paruerint, illico ipso jure, & ipso facto privati sint eisdem Praeceptoribus, seu Commendis, ac membris, aliisque Beneficiis, & muneribus hujusmodi, quae per Te alios Fratres ejusdem Hospitalis, & Linguae Italiae, arbitrio tuo conferri, & concedi possint. Quod si tu illas, & illa intra duos menses a die non partitionis hujusmodi numerandos, aliis Fratribus, ut praefertur, non consuleris, seu concesseris, illarum, & illorum omnium, & singulorum collatio, concessio, provisio, & omnimoda dispositio ad Nos, & Sedem praefatam devolvatur. Notificari quoque curabis, & mandabis simul, & semel supranominatis Praeceptoribus, seu Commendatariis, & Fratribus Militibus, & eorum cuilibet personaliter, seu Domi, & in Domesticorum manibus, dimissa copia, ut praefertur, quod eisdem, seu eorum aliquo contumacibus existentibus, si opus fuerit contumaces ulterius citari, & moneri, contra ipsos procedatur per Edictum, seu Citationes assignandas ad loca consueti Urbis praefatae juxta stylium Romanae Curiae, quae sic affixae, ipsos, & eorum quemlibet afficiant, & arceant perinde ac si eorum singulis personaliter factae, atque intimatae fuissent.

De executione facta mandati transmissi a M. Magistro attestationem

§.2. De executata autem notificatione hujus nostri mandati, & praeccepti, toto illius tenore inserto publicam attestationem ad Nos quantocius transmittere curabis, consignatis tuis super hoc literis dilecto filio Moderno Inquisitori haereticae pravitatis in Insula supradicta auctoritate Apostolica deputato. Ceterum Tibi, ut eisdem praesentes literas etiam absque dilectorum filiorum Consilii memorati Hospitalis consensu, ac omni, & quacumque mora, tergiversatione, contradictione, protestatione, & reclamatione penitus, & omnino remotis, & postpositis, in Cancellaria ejusdem Hospitalis confestim registrari, & annotari auctoritate nostra Apostolica cures, & facias, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus injungimus; Irritum decernentes, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariae nostrae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictorum Hospitalis, & Linguae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque,

indultis, & Literis Apostolicis tam a felicis record. Pio Papa IV. quam a quibusvis aliis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, & Sede praedicta etiam eisdem Hospitali, & Linguae, eorumque Magno Magistro, & Conventui, ac fratribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, ac motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & quantiscumque vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis, servatis, & specificatis, respective habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 5. Nov. 1667. An. I.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Novembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXXVII.

Ut in natione Germano-Belgica Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, servetur Breve Urbani VIII. circa abrogationem privilegiorum personalium.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. **E**xponi Nobis nuper fecit, dilectus filius Bonaventura Vanden Sande Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae nuncupator, professor, ac in Curia Belgica Commissarius, & ad Romanam Curiam, ut asserit deputatus, quod cum fel. rec. Urbanus Papa Octavus Praedecessor noster per quosdam suas in simili forma Brevis die 23. Jul. 1639. expeditas literas omnia privilegia personalia Fratribus dicti Ordinis concessa abrogaverit, & tam per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. de Regularibus, quam per Statuta Generalia Barcinonensia Ordinis praedicti de Electionibus cap. 71. prohibitum reperitur, ne Superiores titulares admittantur ad electiones: Ipse Bonaventura pro communi bono, pace, & edificatione quibus Natio Germano-Belgica, & annexae Provinciae ejusdem Ordinis hactenus

Motiva.

nus garisse sunt, ejusmodi privilegiis personalibus, quæ in eadem Natione nunquam ad usum deducta fuerunt, nec sine inconvenientibus, turbationibus, atque confusionibus introduci possent, aditum præcludi, & alias opportune in præmissis a Nobis provideri, ac ut infra, indulgeri summopere desiderat.

Prohibet concedi post-Fraternis prædictis privilegiis prout in Rub.

§.2. Nos igitur dictum Bonaventuram specialibus favoribus, & gratis profecti volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, inhærendo præfatis Urbani Prædecessoris literis, auctoritate apostolica, tenore præsentium mandamus per quoscumque quavis auctoritate fungentes nullatenus imposterum expediri, seu concedi Fratribus Ordinis hujusmodi Nationis præfata privilegia, exemptiones, gradus, & similia prout in dictis literis continetur.

Et mandat servari de positionem in casu Tendent.

§.3. Præterea mandamus in eadem Natione omnino servari dispositionem Concilii Tridentini, & Statutorum Barcinonensium ejusdem Ordinis nimirum, Fratres superiores titulares non admitti, nec habere locum in electionibus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes ipsas præfatas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§.6. Volumus autem, ut presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 8. Nov. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Nov. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Confirmatio Decreti trium Cardinalium a Congregatione Episcoporum, & Regularium specialiter deputatorum, quo resolvatur Dubia Mulieres Pizzocheras nuncupat. Conservatorii Venetiarum, concernentia.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias propositis pro parte dilecti filii Plebani Ecclesiæ Parochialis S. Martini Civitatis Venetiarum nonnullis dubiis dilectas in Christo filias Mulieres Conservatorii sub habitu S. Dominici ejusdem Civitatis vulgo Pizzocheras nuncupatas concernentibus; Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, tres ex istis Cardinalibus ad examinanda, & resolvenda dubia hujusmodi deputavit, a quibus emanavit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Motiva.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, cui a Sacra Congregatione Concilii remissus fuerat duplex libellus nomine Plebani Ecclesiæ Parochialis S. Martini Civitatis Venetiarum pro resolutione infrascriptorum dubiorum porrectus. Primo nimirum, an Mulieres Conservatorii sub habitu S. Dominici ejusdem Civitatis vulgo Bizzochera nuncupat. de servanda Regula Fratrum, & Sororum de Poenitentia vorum emittentes ad formam Constitutionum dictorum Fratrum, & Sororum licite utantur Velo supra caput, quod suprajectum nuncupant, necnon Pectorali, quod vulgo dicunt Sottogola, ac Patientia in habitu. Secundo. An liceat ad eorum hujusmodi habitum Mulieres recipere, quæ saltem quadraginta annorum ætatem non attingerint. Tertio. Quatenus hoc non liceat cumque de facto in consortio earum Pizzocherarum receptæ fuerint aliqua adolescentula tenerioris ætatis, ex quibus exortura scandala pertimesci potest, utrum eadem adolescentula ab earumdem Pizzocherarum coetu admitti debeant. Quarto. An dictis Pizzocheris liceat propriam Cappellam, seu Oratorium habere, in qua Missæ Sacrificium offeratur. Quinto. Utrum interdicenda sit Cappella hujusmodi, quam sibi adstruxerunt eadem Pizzochera, & ex eo potissimum, quod vergat (ut asseritur) in præjudicium vicinæ Parochialis præfate, & indecenter maneat. Sexto. An quatenus liceat dictam Cappellam retinere, liceat parvam fenestram ad Sacrum e Domo ipsarum Pizzocherarum absque Sedis Apostolicæ indulto audire, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum aptam retinere. Septimo demum: An eadem Pizzochera Cratibus

Decretum. S. Congreg.

Decretum irritans.

Parlatorii, ac Rotis ad instar sanctimonialium claustralium licite uti valeant. Pro istis insertis dubiis examinandis, ac resolvendis deputavit sub Julii proxime præteriti Congregationem particularem Eminentissimorum Cardinalium Brancatii, Sanctæ Crucis, & Carasæ, qui attenta informatione Domini Patriarchæ Venetiarum, reque diligenter examinata, visis videndis, & consideratis considerandis responderunt: Ad Primum. Licere. Ad Secundum. Libere post decimumoctavum annum juxta præfatas Constitutiones a san. mem. Clemente VII. confirmatas. Ad Tertium. Esse dimittendas illas, quæ hujusmodi ætatem decem & octo annorum non expleverint, ad formam dictarum Constitutionum. Ad Quartum. Licere in casu de quo agitur, cum sit Ecclesia publica. Ad Quintum. Negative. Ad Sextum. Licere salvis juribus Ecclesiæ Parochialis. Ad Septimum denique remittendum esse, prout harum vigore remittit, arbitrio, & prudentia ejusdem Patriarchæ. Romæ 30. Augusti 1667. M. Card. Ginnettus. Loco sigilli.

Confirmat Pontifex Decretum.

E. Episc. A. Secretar.

§.1. Cum autem, sicut Pizzochera præfate Nobis nuper exponi fecerunt, ipse decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsas Exponentes specialibus favoribus, & gratis profecti volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes præfatas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Dec. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Dec. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

Abfolvit Dioecsanos, ac Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Portalegren. a censuris, & poenis Ecclesiasticis, quas respective incurrerunt, dicti quidem Dioecsanis, quia ad minores ordines promoti fuerunt a quibusdam Abbatibus, quibus Capitulum Sede vacante ordines hujusmodi conferendi facultatem concesserat, dicti vero Canonici, & Capitulum quia eandem facultatem concesserunt.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Vicario Capitulari Ecclesiæ Portalegren. illius Sede Episcopali vacante legitime deputato.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Portalegren. Nobis expositum, fuit, quod cum ipsi Sede Episcopali Portalegren. vacante aliquorum Doctorum sententiam sequuti, pluribus subditis Dioecsanis Portalegren. literas dimissoriales concesserint, ut ordines minores a quibusdam Abbatibus Monasteriorum Sancti Benedicti, seu Cisterciensium Ordinis in Dioecesi Portalegren. consistentium suscipere possent, concessa pariter eidem Abbatibus facultate minores ordines hujusmodi conferendi non solum Dioecsanis Portalegren., sed etiam quibusvis aliis tam secularibus, quam regularibus, qui literas dimissoriales ab habentibus potestatem ad eas concedendas secum ferrent, quinimo iidem Exponentes facultatem quoque concesserint memoratis Abbatibus administrandi Sacramentum Confirmationis omnibus qui eo indigerent; Aliqui tamen ex capitularibus non fuerint ejusdem sententiæ, immo illis contradicentibus concessa fuerit dicta facultas; Exorta inter hos, & reliquos capitulares non mediocri controversia circa potestatem Abbatum, & consequenter circa id quod agendum esset circa jam ordinatos, habitoque super his ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam recursum; Congregatio Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum per Decretum die 26. Junii 1665. jussu, & cum approbatione felicis rec. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris nostri editum, censuit dictos Abbates nullis sibi non subditis potuisse tales ordines conferre; promotos autem ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione, & dispensatione, sive rehabilitatione ab eadem Sede Apostolica obtinenda, hujusmodi vero Abbates non potuisse conferre Sacramentum Confirmationis, & ab illis confirmatos indigere nova confirmatione, & alias prout in dicto Decreto uberius dicitur contineri.

Expositio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio

tio subjungebat, fere innumeri sint, qui fuerunt ordinati a dictis Abbatibus, & deinde ad sacros ordines bona fide promoti, qui hodie non quidem in contemptum clavium Altari deserviunt, & Beneficia Parochialia, Canonicatus, & Pensiones possident, difficillimum vero, moraliter impossibile sit, singulos pro absolutione, & rehabilitatione ad Sedem Apostolicam recurrere: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut tam sibi, quam prefatis subditis Dioecesis Portalegren. ad minores ordines, ut praefertur, promotis in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Provisio Pontificis.

§.3. Nos igitur illos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis praeterquam praemissorum occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de memoratorum Cardinalium consilio, & intento, quod dicta Sedes Episcopalis Portalegren. adhuc de praesenti vacat, discretioni tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut verificatis coram te precibus, praefatos omnes, & singulos subditos Dioecesis Portalegren. a supradictis Abbatibus ad minores ordines promotos, ut praefertur, dictisque Exponentes si hoc a te humiliter petierint, imposita eis respective pro praemissis arbitrio tuo aliqua poenitentia salutari a censuris, & poenis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeris, vel praetendi possent respective, auctoritate nostra apostolica pro tuo arbitrio, & conscientia gratis absolvas, & totaliter liberes, dictasque poenas eis gratiose remittas, & condones; Ac cum ipsis omnibus, & singulis super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter praemissa innodati in suis respective ordinibus, non tamen in contemptum clavium, ministrarunt, seu alias divinis se ingererunt, quomodolibet contracta, ita ut illa, & iidem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstat impedimentum, clericali characteris, quo alias rite fuerunt insigniti, illiusque privilegii, ac susceptis per eos pariter alias rite minoribus, & sacris etiam Presbyteratus ordinibus uti, & quatenus eos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant, respective auctoritate, & arbitrio praefatis dispenses, eosque, & eorum quemlibet ad clericalis characteris, & ordinum hujusmodi exercitium adversus praemissa eadem auctoritate rehabilites.

Tam Ordinatos, quam Ordinantes a censuris in casibus absolvi mandet.

§.4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de promotis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datur: Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decemasecunda Decembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Contrariis derogat.

Dat. die 12. Dec. 1667. An. I.

XL.

Confirmatio Definitionum duorum Capitulum Generalium Congregationis Hispaniae Monachorum Ordinis Sancti Benedicti circa electiones intermedias ad Abbatis, quae inter celebrationem unius, & alterius Capituli Generalis vacant factarum cum decreto, quod nullatenus mutari possint absque Sedis Apostolicae speciali facultate.

Ex Regest. in Sect. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Monachorum Congregationis Hispaniae Ordinis Sancti Benedicti Nobis expositum fuit, quod in Capitulo Generali dictae Congregationis Anno 1661. celebrato facta fuit definitio tenoris, qui sequitur videlicet: Insuper Capitulum Generale decrevit electiones intermedias contingentes inter Capitulum, & Capitulum Generale fieri a Reverendissimo P.N. Generali juxta priorem, & dispositam Constitutionis Ordinationem, quas a Summo Pontifice Paulo V. confirmatas tanquam jus regulare commune veneratur, & servat, contrariaeque huic Constitutioni auctoritate Ordinaria, & Apostolica Urbani VIII. qua in hac parte fungi decrevit, irritas, & inanes effecit; Iterumque redidit legem electionis dispositam, taliter ut Electio vacantis Abbatis fiat a Reverendissimo P. Generali simul cum Abbate viciniore loco, ubi notitia vacantiae pervenerit cum tribus etiam Definitoribus vicinioribus Monasterio praedicti Abbatis, qui cum ipsis vocem activam in supradicta obtinent electione, servata in omnibus, & per omnia forma eligendi praescripta in nostra Constitutione Priori. Haec autem definitio non mutat, neque tollit electiones intermedias Collegiorum, vel Conventuum minorum, in quibus saltem tres vocales concurrunt; Nam praedictae vacantiae ad Reverendissimum P. N. Generalem unice, & insolidum electio, sicut antea pertinuit, & pertinet sine concursu Abbatis, & Definitorum. Et subinde aliud Capitulum Generale ejusdem Congregationis anno 1665. habitum aliam Definitionem in eadem materia fecit tenoris sequentis: Item intento, quod in casu vacationis Abbatium Inter-

Referuntur Capituli Generalis.

Intermediarum contingit, & ut plurimum necesse est prorogari electionem ob magnam distantiam qua absunt Patres Definitores, determinatum fuit, ut pro electione dictarum Abbatiarum, votum habeant quatuor Patres Abbates propinquiores Monasterio, ubi Reverendissimus Generalis fuerit, de vacatione certioratus, cum declaratione quod in aequali distantia Patres Definitores Patribus Abbatibus praerantur. Et declaratur in aequali distantia extarum Definitorem, qui octo tantum leucis plusquam Abbas distat, & absentibus a suis Monasteriis Patribus Abbatibus idem votum habere pro electione dictarum vacationum Patres Capitulares dictorum proximiorum Monasteriorum qui habeantur in antelationibus juxta suos gradus. Expense autem, quas facerint Patres Definitores a Monasterio, cujus fuerint Conventuales, usque ad aliud, ubi fiet electio, incumbunt oneri Congregationis, & quae fieri in Monasterio, ubi est facienda dicta electio, oneri Monasterii, cujus erit novus Abbas eligendus. Et statuit Sacra Congregatio esse pro hoc puncto obtinendum Breve a sua Sanctitate interim vero observanda disposita per Definitionem praeteriti Capituli Anni 1661.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, observatio Definitionum hujusmodi dictae Congregationis peruti sit futura sit, cupiantque propterea dicti Exponentes primordicam Definitionem cum clausulis, & declarationibus in secundodicta contentis Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communi, & ne eadem Definitiones unquam etiam vigore privilegiorum eidem Congregationi a Sede Apostolica, ut asseritur, concessorum, quibus caveri dicitur, ut ipsi Congregationi liceat propria statuta etiam per Sedem Apostolicam praefatam confirmata, mutare, & alterare, sine expressa, & speciali ejusdem Sedis facultate, ac praesentium litterarum derogatione mutari, vel alterari valeant, a Nobis ordinari: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, attentis narratis, visisque, & diligenter per eosdem Cardinales consideratis Definitionibus factis in Capitulis Generalibus Congregationis hujusmodi, de Annis 1661. & 1665. respective tenoris praesentis, easdem definitiones auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & perpetuis futuris temporibus in-

Definitiones Capituli generalis confirmat.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

violabiliter observari, & nullatenus mutari, seu alterari absque dictae Sedis Apostolicae speciali facultate cum praesentium expressa derogatione mandamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§.3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime, suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice, dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Decembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Decretum irritans.

Derogatio contrarium.

Dat. die 15. Dec. 1667. An. I.

XLI.

Concedit licentiam Abbatibus communis observantiae Ordinis Cisterciensis recipiendi Novitios ad habitum, & professionem, & noviter professis collocandi in Monasteriis, quae in ultimo Capitulo generali pro Novitiatus, & Professuris respective designata fuerunt: Abbatibus vero Monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae, & Cathaloniae ejusdem Observantiae indulget, ut Novitios ad habitum, & professionem ut supra admittere, & noviter professos collocare possint in illis Monasteriis in quibus actu degunt, & aluntur vigintiquinque Monachi.

Ex Regest. in Sect. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit, dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis, quod cum per quosdam. fel. rec. Alexandri Papae VII. Praedecessoris nostri in simili forma Brevis die decemanaona Aprilis 1666. emanatas litteras pro-

Supplicatio.

F f 2 refor-

reformatione generali dicti Ordinis prohibentium, & interdictum fuerit omnibus Abbatibus, & Superioribus Monasteriorum, communis Observantiae, sive in Gallia, sive in aliis Regnis, & Provinciis existentium ejusdem Ordinis, ne quemquam ad habitum suae Religionis, aut imposterum contra hujusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad professionem admitterent, donec designationes pro Novitiis, & Professoriis in Capitulo Generali in vim dictarum litterarum Cistercii celebrando factae, & ad Procuratorem Generalem Ordinis hujusmodi transmissae, ac huic Sanctae Sedis realiter, & cum effectu exhibita, atque ab illa approbata fuissent; Capitulum Generale dicti Ordinis die 9. Maii proxime praeteriti, & sequentibus juxta formam supradictarum litterarum celebratum, in eoque factae fuerunt designationes sequentes, videlicet.

In Burgundia, & Insula Francia pro Novitiatu, & Professorio Cistercium.

In Delphinatu, Bituricensi, & Lugdunen. Provinciis pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Firmitate.

Pro Monasteriis Caroli loci, Noac, Quinciaci, Boniradii, Sigillarium, Rupium, Fontis Joannis, Stratae, & Calivonii, pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Pontigniaco.

In Campania, & Picardia, pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Claravalle.

In Lotbaringia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Morimundo.

In Occitania pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Grandi-Silva.

In Provincia Ruthenensi, & Provinciae pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Bonacumba.

In Arvenia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Bonavalle.

In Burdigalensi, & Pictaviensi. Provinciis pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Obatina.

Pro Andagavensi, Turonensi, & Cenomannen. Provinciis pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Claritate.

In Normannia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Bonaportu.

In Britania pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Reliquiis.

Pro Calabria designatum fuit Monasterium de Succursu pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de S. Joanne in Flore.

Pro Sicilia designatum fuit Monasterium de Raccomadia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Altosonte.

Pro Silesia designatum fuit Monast. Grissowienense pro Novitiatu, & Professorio Lubense.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat dilecti filii Abbates Monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae, & Cathalonae dicti Ordinis in propriis Monasteriis Novitiatus, & Professoria secundum Regulam sibi continuari plurimum desiderent: Nobis propterea praefatus Procurator Generalis etiam dictorum Abbatum nomine humiliter

supplicari fecit, ut praemissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignemur.

§.3. Nos igitur eosdem Procuratorem Generalem, & Abbates specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum super reformatione Ordinis Cistercii. hujusmodi deputatae consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus licentiam Abbatibus communis Observantiae ejusdem Ordinis recipiendi Novitios ad habitum, & professionem, & noviter Professos collocandi in omnibus Monasteriis, quae in praedicto Generali Capitulo pro Novitiis, & Professoriis respective, ut praefertur, designata fuerunt, servatis tamen Constitutionibus Apostolicis, ac dicti Ordinis statutis. Abbatibus vero Monasteriorum Germaniae, Belgii, Poloniae, Aragoniae, Valentiae, & Cathalonae ejusdem communis observantiae indulgemus, ut Novitios ad habitum, & professionem, ut supra admittere, ac noviter Professos collocare possint in illis Monasteriis dumtaxat, in quibus actu degunt, & aluntur saltem viginti quinque Monachi.

§.5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Concedit Pontifex prout in Rubrica.

Decretum irritans.

Derogatio contrarium

Transumptum fides.

Dat. die 20. Dec. 1667. An. I.

Ex Regest. in Secr. Breve.

Exordium.

Expositio.

§.6. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Dec. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

X L I I.

Confirmatio Litterarum diversorum Romanorum Pontificum super Investituris Principatus Messerani, & Comitatus Crepacorii.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Constantis, & eximiae devotionis affectus, quo Nos, & Romanam dilectus filius Nobilis Vir Franciscus Ludovicus Ferrerius Fliscus modernus Princeps Messerani, & Marchio Crepacorii Vercellen. Dioec. reverere Ecclesiam, promeretur, ut his quae pro ejus utilitate, commodo, & tranquillitate concessa fuerunt, quo firmius persistant, Apostolici muniminis praesidium impartiamur.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dictus Franciscus Ludovicus quod alias fel. rec. Paulus Papa III. Praedecessor noster Comitatum Messerani dictae Dioec. quem quon. Philibertus etiam Ferrerius Fliscus ab eodem Praedecessore, & Camera Apostolica in feudum recognoscebat in perpetuum, & Nobilem Marchionatum cum jurisdictione, Imperio, & gladii potestate, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praeminentiis, praerogativis, indultis, gratiis, signis quoque, & insigniis aliis perpetuis Nobilibus Marchionibus, tam in specie, quam in genere concedi solitis, & quibus alii Marchiones perpetui, & Nobiles, eorumque Marchionatus de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum pro ipso Philiberto quamdiu in humanis ageret, & quondam Besso ipsius Philiberti primogenito, & sic de cetero de primogenito in primogenitum, & illis deficientibus pro secundogenito, & ejus primogenito, ac Successoribus primogenitis, motu proprio, & ex ejus certa scientia erexit, & instituit, ac perpetui, & Nobilis Marchionatus nomine, & titulo decoravit, Philibertumque, & Bessum, ac Successores praedictos in perpetuos Marchiones Messerani creavit, ac eis, & pro tempore existenti Marchioni hujusmodi, quod jurisdictione, imperio, & gladii potestate, necnon pri-

vilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praeminentiis, praerogativis, indultis, & gratiis, signisque & insigniis praedictis, necnon facultate cuedendi, & cudi faciendi monetas, modis, & formis tunc expressis uti, potiri, & gaudere, ac alia per alios Marchiones in eorum Marchionatibus fieri solita, ut praefertur, facere, & exercere libere, & licite valerent concessit, & indulgit, ac deinde ex certis aliis tunc expressis causis Crepacorii Quirini, Flecchia, & Rino, Castra, Terras, seu Loca dictae Dioec. in feudum a dicta Sede teneri solita cum omnibus illorum Territoriis, districtibus, Villis, Vassallis, hominibus, incolis, & habitatoribus, fortaliis, franchitiis, & homagiis, aliisque juribus, & pertinentiis, ac omnimoda, alta, bassa, civili, & criminali jurisdictionibus mero, & mixto Imperio, ac gladii, & necis potestate, aliisque honoribus, oneribus, salariis, & regalibus consuetis quatenus ad Praedecessorem, & Sedem praedictam, ac Cameram Apostolicam spectarent, Philiberto tunc Marchioni quamdiu in humanis ageret, & deinde Besso, & dicto Francisco Philiberto ejusdem Bessi primogenito, ita quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus de primogenito in primogenitum masculinum tantum, & de legitimo Matrimonio procreatum transiret, ac primogenito deficiente, secundogenitus, ut praefertur, etiam in Castris, Terris, & Locis hujusmodi succederet in feudum, nobile, honorificum, & antiquum pro annuo censu unius Crateris Argentei ponderis unius librae dictae Camerae in Vigilia, seu Festo Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum in Urbe solvendo, & alias certis modo, & forma tunc expressis concessit, & assignavit, ac Terras, & Loca hujusmodi cum praedicto Marchionatu, prout antea etiam Comitatus Messerani erat, reintegravit, illaque ad Philibertum, & Bessum Marchionem, eorumque futuros Successores praedictos transtulit, & de illis etiam investivit, erectionemque, investituram, concessionem, reintegrationem, & translationem hujusmodi praemem. Julius III. Paulus IV., Pius etiam IV., Pius V., Gregorius XV., & Sixtus V. Romani Pontifices etiam Praedecessores nostri per suas desuper confectas litteras respective confirmaverunt, & approbaverunt, ipsique Pius IV., & Pius V. potiori pro cautela Castra, Terras, & Loca praedicta Besso Marchioni, ejusque descendantibus masculis praedictis, & idem Sixtus V. etiam quond. Francisco Philiberto modo, & forma praemissis concesserunt, & assignaverunt, & cum Crepacorii, & Comitatus pertinentiarum praefatarum bon. mem. Emanuel Philibertus Sabaudiae Dux, & Pedemontium Princeps Possessionem diu occupasset, juribus ipsius Francisci Philiberti, & suorum antecessorum praedictorum visis, & cognitis, Gregorius XV. Praedecessoris praedicti assensu, & beneplacito accedente, illam dicto Besso Marchioni dimisit, & relaxavit, cumque

ratione dicti Marchionatus Messerani ipse Franciscus Philibertus censum unius accipitris singulo biennio Camerae praescriptae solvere solitus esset idem Sixtus Praedecessor censum accipitris huiusmodi in decem ducatos auri dictae Camerae singulis annis eidem Camerae Apostolicae per eundem Franciscum Philibertum, & Successores praedictos persolvendos commutavit, illosque ab ulteriori solutione dicti accipitris perpetuo liberavit; Omnia vero, & singula praemissa felicitate rec. Clemens VIII. & Urbanus VIII. Romani Pontifices similiter Praedecessores nostri approbarunt, & confirmarunt, prout in singulis dictorum Praedecessorum literis continetur.

Petit confirmatio Pontificis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat dictus Franciscus Ludovicus praedictum annum censum decem ducatorum auri de Camera, & Crateris Argentei ponderis unius librae Camerae praedictae persolverit, & in futurum solvere paratus sit, & firmiora illa existant, quae sepius a Sede praedicta confirmantur, & approbantur. Cupit propterea dictus Franciscus Ludovicus Ferrerius Fliscus Princeps singulis literis Pauli III., ac Julii III. Pauli IV., Pii V., Greg. XIII., Sixti V., Clementis VIII., & Urbani VIII. Praedecessorum huiusmodi, omnibusque aliis, & singulis praemissis nostrum, & dictae Apostolicae firmitatis robur adici, sibi, & Successoribus praedictis in praemissis provideri. Quare Nobis humiliter supplicari fecit dictus Franciscus Ludovicus quatenus sibi in eisdem praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignemur.

Confirmat Pontifex.

§.3. Nos igitur singularum literarum, investiturarum, & praemissorum omnium, & singulorum etiam veriores, & totos tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, dictumque Franciscum Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, singulas praedictas literas Pauli III., Julii III., Pauli IV., Pii V., Greg. XIII., Sixti V., Clementis VIII., & Urbani VIII. Praedecessorum praedictorum ac omnia, & singula in eisdem literis contenta, & inde secuta quaecumque, licita tamen, & honesta, omnesque, & singulas investuras praedictas, Marchionatum Messerani, & Comitatum Crepacorii, concernentia sine tamen Sedis, & Camerae Apostolicae praedictae, ita quod nullum novum jus dicto Francisco Ludovico Ferrerio Fisco Moderno Principi Messerani, & Marchioni Crepacorii, nec ejusdem Principis primogenito, aut cuicumque alteri per praesentes accrescat, nec quicquam de iuribus Sedis, & Camerae earundem etiam contra literas patris memoriae Pii Papae V. de non infeudandis, & alienandis rebus Ecclesiae, & aliorum Romanorum Pontificum, ac etiam nostris decedat, verum omnia in statu, in quo erant ante praesentem confirmationem, remaneant, Apostolica auctoritate, tenore praesentium perpe-

tuo confirmamus, & approbamus, ac illis plenariae, & inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adicimus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus praemissis, necnon Camerae Apostolicae, Marchionatusque, & Principatus, ac Comitatus, Villarumque praedictarum juramento, confirmatione, Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, usibus, & naturis, ac legibus etiam Imperialibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam vim contractus, & statuti etiam perpetui, seu legis inducentibus etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolica potestate plenitudine etiam consistorialiter, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, ac imposterum concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, & singulis etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specificis, expressis, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 24. Dec. 1667. An. Pontificatus nostri Anno I.

XLIII.

Constitutio revocatoria exemptionum a vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

P Aterna, quam de nostris, & Apostolicae Sedis in temporalibus subditis gerimus, cura Nos urget, ut in gravissimis rerum difficultatibus, quibus Camera nostra Apostolica, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Terrarum, & Locorum nostrae, & dictae Sedis ditionis temporalis propter multa onera antehac imposita premuntur, aliquod eis levamen, sublati immunitatibus, atque exemptionibus ab onerum publicorum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices Praedecessores nostros, & Sedem praedictam, ac forsitan illius de latere Legatos, aliosque eorumdem Sedis, & Camerae Officiales, & Ministros ad importunas supplicantium preces, & alias quomodolibet concessis, quae dum aliquibus, usque ut plurimum locupletioribus favent, in ceterorum, & quidem plerumque pauperiorum detrimen-

Proemium.

tum vergunt, eorumque inopiam praegravant, adferre satagamus, sicut publicae utilitati, atque aequitati, & iustitiae rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Revocatio de qua in Rubr.

§.1. Itaque Camerae, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque nostrorum praedictorum indemnitati, & levamento, quantum Nobis ex alto conceditur, aeque principaliter consulere cupientes, ac fel. rec. Sixti V., Pauli etiam V., Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII. aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, qui Constitutiones similibus exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inherentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum huiusmodi, literarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis cedularum Motus proprii, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis Praedecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum literarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia, etiam speciali, ac individua expressione digna, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & verbatim insertis respective habentes. Motu proprio, non ad cuiusquam Nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolica potestate plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione omnes, & quascumque exemptiones, & immunitates a solutione subditi triennalis, necnon quatuordecim illi adjuncti, quatuordecim carnis, taxarum equorum, talliarum, censuum, archivi, fogliettae, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum, taxae Portus Anconae, quatuordecim, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, exactio, & quorundem onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extra ordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorundemque, ac etiam eorum, quae per Communitates, & Universitates directe, vel indirecte pro eorumdem onerum Cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac pro viis, & pontibus construendis, instaurandis, muniendis, & manutendis, aliisque indigentibus, & usibus quibuscumque tam Camerae, quam Communitatum, & Universitatum praedictarum, seu alias indita, & imposita, ac exigi solita sunt, nec non ab obligatione recipiendi, & hospitandi Milites, & Sedis praedictae Officiales, Barigellos, Exequutores, aliosque Iustitiae Ministros, eiusque utensilia, & alia necessaria ministrandi per Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Camerae praedictarum Officiales, & Ministros, quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, etiam Camera-

rios, ceterosque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis ditionis temporalis S. R. E. praedictae, ac etiam quibuscumque Feudatariis, Censuariis, Dominis locorum, Familiis Nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cuiusvis status, gradus, conditionis, & praesentis existentibus, ac quavis dignitate, & auctoritate praedictis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui castra, & iurisdictiones intra limites dictae ditionis temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae possident, etiam qui nihil ratione Castrorum, & Iurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim, seu alias persolvunt, & tam Incolis, quam extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus, & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis, & laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & contemplatione, ac ex alia quacumque, quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessitate specialiter exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiam in appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestate plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et alias quomodocumque, et qualitercumque in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas, et datas, ac pluries, et iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, et innovatas, et inde etiam iudicis auctoritate sequuta quaecumque, necnon quavis literas, etiam Apostolicas, sub plumbo, vel in simili forma Brevis Motus proprii cedulas, chirographa, et scripturas huiusmodi ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, et abrogata, irritata, et abolita, et annullata, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio, aut possessorio, etiam summarissimo, contra praesentium literarum tenorem, et dispositionem suffragari posse, sed praedictos omnes, et singulos exemptos ad omnium, et singulorum onerum praedictorum solutionem, et supportationem pro rata eos tangente imposterum realiter, et cum effectu teneri in omnibus, et per omnia, perinde ac si dictae exemptiones, et immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec literae, ac cedulae motus proprii, chirographa, et scripturae huiusmodi unquam emanassent, motu, scientia, deliberatione, et potestate plenitudine praedictis decernimus, statuimus, et declaramus.

Privilegia Ecclesiastica quomodo intelligenda explicat.

Præ-